



1. Drejeri / Chr. / Diff. de Conver-
sione Iudaeorum, Regiomonti
1691.
2. Eckstein / Gottlieb / Summi Dei
Magnatissimum, ex Genes. III.
v. 22. contra Iudaeos, Wittenbergae
1685.
3. Edgardi / Sebast. / Diff. ex Philo-
logia Hebraica, Wittenbergae
1695.

De

31.

OREBHIM

Eliæ nutritoribus

i. Reg. XVII. 4. 6.

Naturalesne corvi an homines
intelligentur.

Sub PRÆSIDIO

BRANDANI HENRICI
GEBHARDI,

SS. Literarum Doct. & Prof. P.

publicè disquiret

FRIDERICUS CHRISTOPHORUS
WILLICHIUS, Sund.

SS. Theol. Cultor.

D. VIII. Septembr. Hon. VII.

MDCCVII.

GRYPHISWALDIÆ,

Nunc recusa MDCCXIX,

(3)

De

ORERBHM

Elise mutoribus

Naturalis corvi an homines
intelligant.

Sub Praesidio

BRANDAN HENRICI GERHARDI

SS. Licent. Doct. & Prof. P.

Publici

FRIDERICI CHRISTOPHORUS WILHELMUS

SS. Theol. Doctor

Publici Secret. Hae. Vall.

MDCCLXIX

Typis


Printed MDCCLXIX





DISQUISITIO

de voce



Ex *1. Reg. XVII. 4. 6.*

Quæritur de OREBHIM, Eliæ nutritoribus, corvinè an homines intelligantur. Autor quidam in scripto Gallico; CORBEAUS d' ELIE inscripto, homines intelligi, probare conatur. Et parum abest, quin nos in sententiam suam pertrahat. At scrupuli nonnulli restant non exigui, qui nos male habent, quos paucis exponere æquum erit. Ut res evidentius pateat, thesin thesi opponemus.

THESIS.

OREBHIM, qui 1. Reg. XVII. 4. 5. nutritorise leguntur Eliam, veri fuere corvi, non cives urbis ORBO, aut Mercatores.

ANTITHESIS.

OREBHIM, qui Eliam nutrierunt, non fuere veri corvi, sed incolæ urbis ORBO, aut ad minimum Mercatores.

A 2

Prob.

1. *Quod cives urbis Orbo intelligentur, asserit Rabbi Juda in Bereschit Rabba עיר היא בתחום ושמה עורב*
 FUIT URBS IN DITIONE BETSCHAN, CUI NOMEN
 ORBO. *Additur in Mattenot Rebynna: INCOLÆ EIUS*
 URBIS ASPORTARUNT ELIÆ PANEM, ATQUE HI O-
 REBHIM, 2. D. INCOLÆ URBIS ORBO.

R. 1. Priusquam Rabbinos consulamus, Grammatica vocis analysis spectanda esse videtur. Forma vocis pluralis est, ex sing. עורב *corvus*. Hinc pluralis regulariter formatus est עורבים *corvi*. Ab hac simplici interpretatione non facile discedendum, nisi graviores urgeant causæ. Contra si cives urbis ORBO intelligendi essent, alia foret nominis forma, alia constructio. 2. In Bereschit Rabba loco allegato introducuntur duo Rabbini disputantes de voce עורבים. Rabbi Jehuda asserit fuisse incolas urbis Orbo. Ei contradicit R. Nehemia statuens fuisse עורבים *veros & genuinos corvos*. Atque huic cæteri astipulantur, Gersonides, Abarbenel, Ben Melech, Abendana, &c. qui etsi etiam alias interpretationes allegant, tamen hæc veris corvis genuinam esse affirmant. Abendana allegat R. Jonæ mentem, qui intellexit וחשובים מענק ואת האצילים *viros nobiles & primicerios, confertque בני התעורבות* *sum 2, Reg. XIV. 14, ubi Chaldaus textualem vocem vertit, Filios magnatum.* Deinde R. Josephum Kimchi ait intelligere *Mercatores*, conferens cum Ezech. XXVII. 27. *qui negotiantur negotia tua.* Ait porro, esse etiam, qui exponant ער שלם מקומם *de hominibus a loco suo*

suo denominatis. Tandem suam subjungit *ἰστορίῳ*
 והנכון שהם עורבים ממש וכזה העיר ה' את
 אליהו שלא היה אכזרי כל כך על ישראל כי
 הערבים שהם אכזריים על כניהם יכללוהו
 והוא לא יחמול עליהם *Rectius illi sentiunt, qui ge-*
nuinos corvos intelligunt, quorum ministerio DEUS pro-
pterea in pascendo Eha voluit uti, ut ipsum commoneret,
ut quemadmodum corvos, qui in suam prolem sunt durio-
res, sese videret pascere, ita etiam ipse Israelitis parceret.
 Hanc sententiam quoque tuentur Judæi in versione
 sua germanica v. 4. Und ich habe denen Raben gebo-
 ten / daß sie dich dort speisen sollen v. 6. Und die Ra-
 ben brachten ihm des Morgens Brod und Fleisch /
 desgleichen Brod und Fleisch des Abends. Tuetur
 eam sententiam Chaldæus, vertens ויה ערביא מקריה
 & *præcepi corvis* : LXX, vertentes *négans*, Josephus l.
 VIII. ant. Jud. cap. 7. quos cæteri Interpretes mag-
 no agmine sequuntur. Si autoritatibus pugnan-
 dum, faci le autoritatum numero prævalituri videntur,
 qui ערבים ממש שהם העופות השחורים
proprie dictos corvos animalia nigra intelligunt.

2. Non solus R. Jehuda hanc de incolis urbis Orbo am-
 plectitur sententiam, sed & in tractatu cholim, c. 1. fol. 5.
 col. 1. ea firmatur, ubi legitur: OREBHIM NOTANT DUOS
 VEL PLURES HOMINES ITA DICTOS, illustraturque ex-
 emplo ex Jud. VII. 25. petito: ISRAELITÆ PERCUSSE-
 RUNT OREBHIM IN PETRA OREBH: additurque quod
 OREBHIM QUI ELIÆ ASPORTARUNT PANEM ET
 CARNES, ACCEPERINT NOMEN SUUM DE URBE SUA.
Idem ibi plenius asserit & illustrat R. Salomo.

R. 1. in loco Judicum non extat plurale *Orebbim*, sed
 singulare עורב בצור עורב ויכו אתה *percusserunt Orebbum in rupe Orebb.* Hoc ex loco conjectura capie-
 tur fieri posse, ut ערביים homines ita dictos deno-
 tet. Ut enim Princeps Midianitarum Orebh dictus,
 ita non repugnat fuisse etiam inter Israelitas quem-
 piam, qui id nomen gesserit. Conjicitur itaque fuisse
 familiam *Orebbim* dictam, quam conjecturam etiam
 Arabs secutus est, qui *Orebbimos* transfert. At
 si gentilitium nomen est, habebit etiam formativum
 Jod, quod hic deficit. Si *Orebbim* legeretur, homi-
 nes intelligi posse non negaremus. At sic supponenda
 non foret urbs ORBO, sed OREBH. Hinc *Orebbi*, & pl. *Orebbim*. Quanquam dubito an hanc
 loquendi rationem ferat Hebrææ Scripturæ stylus:
 Scriptum omnino fuisset עורב בני *filii Orebb*, ita
 ferente perpetua styli Hebræi consuetudine. Quod
 si ab urbe sua denominatos putas, in forma vocis
 indicium extabit, quod nullum hic est. Ut enim ci-
 vis Hierosolymitanus ירושלמי Bethlehemia בית לחם
 Gibeonita גבעוני appellatur, ita & Orboita ערבו. Ita
 formandum fuisse censet Dn. Bochartus, ubi ex-
 pendendum relinquo Lectori annon potius ab hu-
 jusmodi formæ urbibus nomen gentilitium median-
 te נ formari debeat. Sunt urbes, quæ in ו aut ה ter-
 minantur מנורה *Jericho* מגידו *Megiddo* שילה *Silo* גילה *Gilo*.
 Ut civis, urbis *Gilo* vocatur הגילי mediante נ, ita
 & civis urbis *orbo* dici deberet ערבוני. Hic autem
 ubi de pluribus civibus sermo est, juxta usitatum
 Codicis Hebræi stylum dici debuisset אנשי ערבו
 aut

uta incolæ aut *viri Orbo*. Serione agant Rab-
 bini, cum hanc de urbe *ORBO* in medium proferunt
 sententiam, disquiri meretur. Allegabo locum ex
 Jalkut thora, ubi hæc exstant מאי עורבים אמר רבינא
 עורבים ממש אמר ליה דב אחת בר מניומי לרבינא
 ודלמא חרי גברי שמייהו ועורבים מי לה כתוב
 ויכו את עורב בצור עורב וארץ אמר ליה
 ואתרמי מולחא דתרווייהו הוו שמייהו עורבים ודלמא
 על שם מקומם מי לא כתוב וארם יצאו גרודים
 וישבו מישראל נערה קטנה ר' פרח קטנה דמין
 ליה נערן אמר כן עורבים טכניו ליה *Quid sunt Orebbim?*
Rabbena ait intelligi veros naturales corvos, at Rabbi A-
cha filius Minjomi respondet Rabbena: Fortasse intelligi po-
terunt duo homines, quorum nomen Orebbim. An non
scriptum exstat Jud. VII. 25. Et percusserunt Orebb in-
rupe Orebb & Seebb in torculari Seebb? Imo, regerit ille,
si duo homines Orebbim dicti intelligendi, fortasse nomen
gerent a loco quodam suo. Annon scriptum exstat. 2.
Reg. V. 2. Syri turmatim exierunt, & captivam abdu-
xerunt ex Israele Naarah parvam: Ubi R. Pedath vocem
Naarah, (qua alias puellam notat,) per oriundam ex Naa-
ran exponit. Simili modo dici potest Orebbim, (i. e. ori-
undos ex Orebb) asportasse Elia panem & carnes. Ap-
paret ex hoc, eos qui a consveta significatione vocis
Orebbim discedunt, nulla solida niti ratione. Nihil ha-
bent præter FORTASSE. Colorem aliquem quærunt
ex OREBH, Midianitæ Principis nomine. At certo
asserere possunt, fuisse etiam in Israele quendam O-
REBH qui familiæ Orebbitarum originem dederit;
 cujus

cujus quidem posterius, si unquam existisset, non fuissent dicti *Orebbim* sed בני עורב *filii Orebb*. Et quam ficulneum argumentum est, quod ex voce *Naarab* ducitur? Fuit urbs נערן *Naaran* dicta, in tribu Ephraim versus orientem sita, cujus mentio fit, 1. Chron. VII. 28. *Naarab* autem; supponit Rabba in dicto loco, posse significare, oriundam ex urbe *Naaran*. Hinc infert: Ut *Naarab* notat oriundam ex *Naaran*, ita *Orebbim* oriundos ex vico quodam *Orebb* vel *Orbo*. At enim vero Oriunda ex *Naaran* נערנית *Naaranitib* dicenda esset, non *Naarab*: quæ vox *pueliam* usitate notat. Nec obscure infirmitatem conjecturæ prodit Rabba, dum pro *Orebbim* postea scribit *Orebbim*, agnoscens aliam formam habere debere *Orebbim* si familiam aut cives urbis cujusdam denotare debeat. Et vero memorabile est, quod nec in Cholin nec in Jalkut urbis nomen, a quo appellentur *Orebbim* exprimatur, sed solummodo dicitur: *Orebbim* dicitur מקום de loco suo. Solus R. Iuda urbi nomen *Orbo* dedit. In scriptura certe non existat hæc urbs. Qua ergo fiducia credi potest uni Rabbino eam nominati? A quonam & quando illa condita? Ubi sita?

3. *Pertinuit ad Decapolin. Sita fuit prope urbem Bethshan seu Scyebopolin, non procul a Jordane, urbs valde celebris in Scriptis Judæorum p. 3.*

R. Mirum si *ORBO* tam celebrata urbs est in Iudæorum Scriptis unum tantum locum ex Bereschit Rabba adduci. Nam in Cholin & Jalkut nomen ejus non existat, Mirum illam R. Iudæ traditionem ride-

rideri a viris in Judæorum libris versatissimis Lichtfootus R. Judæ traditionem vocat *nugax somnium* in Marc. p. 570. Dn. Bochartus cum præter aliorum sententias de voce *Orebbim* & R. Judæ mentem adduxisset, subiicit: *Sed facile est docere hac interpretamenta nihil habere sani.* 2. Situs urbis ponitur prope Betschan, sed qua fide? An etiam torrens Cerith ibi fluxit? Nam prope Cerith, ad quem latere jubebatur Elias, etiam ponenda *ORBO*. Ignoratus torrens est, semel tantum nominatus in Scriptura. Unde & Chorographi de ipsius situ dissentiunt. Lichtfootus ait: *Latuisset in æternum torrens ille, nisi ad eum latuisset Elias* l. c. pag. 571. ibidemque judicat, si eum in verbis Judæ verum sit, id inde perspicui posse, quo loco Rabbi firmum fuisse opinatus sit torrentem Cerith. Ex mente itaque Rabbi Judæ fluxit ad urbem Betschan. Alibi eum locat Dn. Bochartus, putans eundem esse Cerith, qui torrens arundineti, de quo Jos. XVI. 8. XVII. 9. Aptissimum fuisse locum ad occultandum Eliam, cum ibi post carecta tuto latere potuerit. Et argute admodum conjectat flumen arundinis ab hoc eventu nomen Kerith sortitum fuisse ex כרה *parit*, quod ad eum torrentem pastus sit Elias miraculose. Atqui hic torrens longe distitus ab urbe Betschan. Quamquam Dn. Füllerus fluvium arundinis versus occidentem locet, & in mare mediterraneum aquas suas exonerare asserat. Quod si est, minime poterit confundi cum Cerith. Nam Kerith ad orientem quærendum esse sacræ literæ diserte monent,

B

etfi

etsi adhuc certant, utrum cis an trans Jordanem fluxerit. Verba textus sunt: *Abi & confer te versus Orientem, & occultare ad fontem Kerith, qui est ex adverso Jordanis.* 1. Reg. XVII. 2. Ex quibus verbis duo patent: primo torrentem Kerith Eliæ fuisse ab oriente: deinde non fluxisse ultra Jordanem, sed citra Jordanem. Quonam autem loco fuit Elias, cum hæc ad ipsum dicerentur? Ponimus aut Samarizæ fuisse aut Bethele. Utracunque parte fuerit, orientalis multo ipsi fuit Kerith, si flumen arundinis esse supponitur, quam urbs Betschan, quæ ad septentrionem magis ipsi erat sita. Judæi videntur asserere Eliam Bethele fuisse. Nam cum Hiel, Bethelita, inquit, ob inominatam instaurationem Jerichuntis duos filios perdidisset, Rex Achab una cum Elia ad Hielem consolandum profectus. Elias ipsi primum omnium causam obitus filiorum ad animum revocavit, quæ nulla alia fuerit, quam quod contra DEI præceptum instaurationem Hierichuntis suscepisset Jos. VI. 26. Achab ipsum interpellans rogavit, Magisterne Moses an discipulus Josuæ major esset: qui cum respondisset, Mosen esse præstantiorem, regessit Achab: Mirum Josuæ comminationes impleri, cum Mosis Magistri minæ nullum in Israele eventum nanciscantur. Prædixit Moses siccitatem & annonæ caritatem Idolorum cultoribus. Atqui Israelitæ impune idolis litant. Si Mosis verba non implentur, frustra dicitur Josuæ comminatio in Hiele eventum esse sortita. Hoc audito, Elias illico in hæc verba erupit; *Ita DEUS vivat, coram quo*

quo

quo adsto, ut neque res, neque pluvia bisce annis casura est, nisi ad verbum meum 1. Reg. XVII. 1. His dictis Elias sese statim jussu DEI contulit ad flumen Kerith. Quod si Bethelē fuit Elias, septentrionalis ipsi fuit Betschan, non orientalis. Ergo nec Orbo, nec Kerith ad Betschan quærenda. Ceterum ponamus, Eliam Isfreele hæc dixisse, ubi ipsi Betschan fuit ex oriente, μέγα λίαν ἀίτημα adhuc est, an jam Eliæ tempore urbs quædam ibi extiterit ORBO dicta.

4. Omnino fuit. Nam Autor libri Mattenot Kebyna assertit, quod Josaphat Rex Judæorum tum temporis in eam imperium habuerit.

R. 1. A Judæo hoc asseri non nego. Sed an Christianus Judæo hoc tradenti satis tuto fidere possit, de eo valde dubito. An enim verisimile est Reges Israelis Josaphato permissuros fuisse imperium in aliquam suarum urbium in mediterraneo regni sui jacentium? An quidquam aliud erat, quod Reges Israelis ad mutandam religionis formam impulit, quam metus, ne sui subditi, quamdiu religionis commercium cum Judæis haberent, & singulis annis in templum Hierosolymitanum sese conferrent, imperio Samaritano paulatim subducerentur? Imo si concedam, uti complures Israelitici regni subditi adhuc consortes fuere veri cultus, qui in Judæ & Benjaminis tribu conservabatur, ita Josaphatum Regem urbes in Israelitide quasdam possedisse, quarum dominus jure belli fuerit, tamen inter illas numerari urbem quampiam ORBO dictam, & ad Betschan sitam, qua fide credi potest, cum si quas urbes

tenuit Josaphat, eas non in Isaschar, sed in tribu Ephraim sitas fuisse ex collatione 2. Paral. XIII. 19. cum XIV. 8. appareat. 2. Ut Judæi ad figmenta sunt proni, ita ex hac historia fingendi materiam amplam potuere capere. Pascere Eliam rectius convenire vitum hominibus, quam corvis. Ergo fingenda erat urbs *ORBO*, cujus cives *Orebbim* ad Eliam alendum excitati. Ea ad urbem Bethschan locata, quia ab ea prope aberat trajectus in Galaitida, ex qua Elias oriundus, ut si non satis tutus esset apud Orboitas, a suis civibus exciperetur. Ac ut metus tradendi Eliæ ab orboitis abstergeretur, eximendi erant imperio Achabi & ditioni Josaphati subjiciendi. Ita mendacium mendacio tectum est, ne perplueret. Non quidem nostri instituti est morose negare, extitisse aliquando urbem nomine *ORBO*, sitam fuisse prope Bethschan aut prope torrentem Arundinis. Neque enim ulla ratio nobis suppetit, quare hoc negemus, tanquam rem prorsus impossibilem. De hoc quæritur, an tempore Josaphati urbs *ORBO* extiterit, cujus cives aluerint Eliam. Hoc probandum: hoc non fit verisimile, quod sola Judæ autoritate in re tanta niti minime possumus. Quod autem postmodum in memoriam miraculosæ hujus passionis corvorum ministerio factæ, locus aliquis existere cœperit, facile concessu est; Meminit Hieronymus cujusdam vici, *AORABI* dicti, quem Adrichomius ad torrentem Arundineti collocat, qui etiam a corvis nomen gerere probabiliter creditur. Verba ejus sunt: *AORABI terminus Judææ provincie ad Oriem-*

Orientem respiciens tribus Judæ. Est autem & vicus nunc usque grandis novem millibus a Neapoli contra Orientem descendentibus ad Jordanem & Jericho; vide ipsum in loc. Hebr. Hunc vicum AORABI ipsam vocem הערבים *Haorebbim* esse, vix mihi tempero quin credam. Non enim desunt loca, quæ animalium gerunt nomina, ut שעלבים *vulpes* Jud. 55. עקרבים *scorpiones*. Sic צופים *speculatores* Num. XXXIV. 4. כוכים *stentes* Jud. II. 15. בחורים *juvenes* &c. Ut autem illa simpliciter ita vocantur, subaudito בית *domus*, ita forte, ut remaneret fasti Eliæ memoria, vicus eo loco condi cœpit, quo miraculum contigit, בית הערבים *domus corvorum* dictus, qui postea corrupte *Aorabi* nuncupatus. Hanc conjecturam si quis probaverit, agnoscat me urbem *Orbo* fuisse R. Judæ quidem concedere, at tempore Josaphati fuisse negare. Enim vero si ponamus extitisse tum ORBO, Orboitas pavisse Eliam, non sine ratione dubitaverim, quomodo Elias occultari potuerit, tot hominibus ejus præsentia consciis?

5. Sufficit, si Achabum latuit & persecutores suos. Publice non fuit notus locus latibuli, privatim fuit notus cuius Orboita. Si legati Israelis Jerichunte apud Rachab latere, si centum Prophetæ tempore persecutio- nis Baaliticæ ope Obadiæ in diversis cavernis clam Reginam pasci potuere, Elias quoque latere potuit apud Orboitas, sine metu ejus manifestandi. Quoque ceperunt sa retraite fut fort connu a quelques uns: véritablement il fut connu, a savoir au Roy au royaume d'Israel, aus idolatres; En brief, a ses persecuteurs il

* (14) *

n' étoit point connu, où il étoit caché. Outre cela ni
sous ces amis, ni tous ces ennemis ne seurent par sa re-
traite, §. 8. 9. 10.

R. Dubito an hæc assertio conveniat cum ver-
bis, Cap. XVIII. 10. *Non est gens aut regnum, quo
non miserit Achab legatos ad te investigandum, tanto
quidem studio, ut non nisi juratis credere voluerit te inve-
niri non potuisset.* Apparet ex hoc quam sollicitè, Eli-
am ubivis quæstiverit impius Achabus. Quod si
manifestationem Eliæ ab exteris regnis & gentibus
ope jurisjurandi exigi curavit, quomodo Elias late-
re potuit apud Orboitas Achabi subditos? Assertio
autem Dn. Autoris est: *Les nourisseurs du Prophete
Eliæ en sa retiraden² ont été des Corbeaux, mais d' bon-
neres gens, quelques uns Bourgeois de la ville d' Orbo, p.
I. 14.* Si civium quisque conferre pecuniam debuit
ad cibandum Eliam, Magistratus cura directæ Eliæ
fuit nutritio. Si ergo inquisitio Prophetæ apud Or-
boitas instituta est, quomodo potuit celari Regem?
Exacta fuit manifestatio Viri DEI ope juramenti.
Si negarunt Eliam apud se latitare, perjurium com-
miserunt, nec verorum DEI cultorum sustinere ti-
tulum potuerunt. Si ergo prodendum omnino ab
Orboitis fuit Eliæ latibulum, quomodo latere apud
ipsum tuto potuit? Patet ex his alienum esse exem-
plum legatorum a Rachabe occultatorum, & cen-
tum Prophetarum ab Obadia nutritorum, quia ne-
que horum neque illorum manifestatio mediante
jurejurando fuit exacta.

6. Si

6. Si naturales corvi intelligendi, sequitur plus miraculi præstitum fuisse in rostris corvorum, quam in mensa Elia: Car dieu auroit courbé les bees des corbeaus & resferré leurs cous & leurs entrailles de peïn qu' ils ne devorassent les viandes p. 12.

R. Si miraculum hic præstitum fuisse conceditur, non difficulter admittere poterimus, corvorum ope nutritum esse Prophetam. Si enim ministerio Orboitarum fuit nutritio facta, nihil ea habet miraculi. Est autem miraculum opus naturæ contraveniens. Quod ergo fecerunt corvi, præter naturam tecere, tanquam instrumenta Creatoris sui, qui corvorum appetitum facile cohibere potuit, ne quidquam degustarent de alimento Eliæ destinato. Ita quondam & Leonum fauces obturavit, ne Daniele discerperent, & ignis vim inhibuit, ne consumeret tres in clibanum ardentem coniectos viros, Dan. VI. 22. III. 27.

7. Si naturales corvi intelligendi, Elias violavit Legem Moſis, ad quam vindicandam erat missus. Nam cibum sumſit impurorum animalium contactu fœdaturum, quemque forte ante inter cadavera posuerant p. 12.

R. Non violavit Legem, siquidem jussu DEI cibum a corvis delatum comedit. In se corvi non erant immunda animalia, sed ex DEI impositione. Ergo per se impurare non potuerunt cibum mundum. Quod DEUS impurum judicat, id impuritas

eis potest iterum absolvere, & quod DEUS sanctificat, homo ne profanato. Act. X. 15. Ad ceremoniales leges non ita absolute Itraelem fuisse adstrictum, ut in casu necessitatis & vitæ periculo non liceret ab iis discedere, probat exemplum Simsonis, de melle in mortuo leone invento edentis Jud. XIV. 9. Davidis comedentis panes propositionis Luc. VI. 4. Matthiæ sabbato hostes aggredientis 1. Macc. II: 41. Ergo & Elias potuit carnibus contactu corvorum scdatis pasci, citra legis violationem. אין

לשאול מאין היה יורע אליו שיהיה הכשר ההוא כשר כי אחרי שצוה האל שיאכל מה שיביאו לו אותם הערבים לא היה אליו כזה חממה ולפי שעה יתכן לעבור על מצוה התורה באמצעות הנבואה *Non opus est, querere, unde inde innotuerit Elia, quod caro ipsi a corvis allata fuerit munda. Quia enim DEUS iussit ipsum cibo a corvis apportato vesci, sine omni peccato eo passus est. Imo Propheta interdum licet contra legem positivam agere, inquit Gersonides in h, l, conf. Abarbenel. Ita Elias licite in monte Carmel extruxit altare, ac in eo sacra obtulit, quanquam DEUS severe interdixerat alibi præterquam Hierosolyinis sacra facere. Licite Carmele sacrificavit, quia DEI iussu fecit. Ita etiam licite comedit carnes a corvis portatas, quia DEI iussu comedit.*

8. Per integrum annum singulis diebus mane & vespere asportare Elia alimentum, opus hominum est, non corvo-

corvorum : Une chose continée une si longue suite de
têms & avec tant d'ordre, ne peu pas être attribuée a
des vilaines oiscaus, tels que sont les corbeaus, mais a des
charitables & humains burgeois, tels qu' estoient ceus de
la ville d' Orbo p. 15.

R. Pastio Eliæ naturaliter per corvos fieri non
potuit: miraculose autem fieri potuisse quis neget?
An a DEI potentia alienum est לשׁוֹם כֶּלֶב הָעֵרֵבִים
וְיָוֵם שְׂכִימוֹ לֶחֶם שְׁתֵּי פַעֲמִים בְּכֹל יוֹם
indere in cor
corvorum ut bis quotidie afferent Eliæ panem & carnem?
DEI nutu convolabant olim bestiae in arcam Noæ,
DEI nutu cœlum depluebat Israelitis Manna singulis
diebus per quadraginta annos integros. DEI nutu
ignis bis & ter cœlo delapsus impios consumsit. E-
jusdem DEI nutu corvi ad ministeria Eliæ sese com-
posuere.

9. Eliam ab orboitis pastum esse Judaica affirmati
antiquitas. Contra a corvis nutritum esse stulta est ac
obscura traditio: Il faut pardonner leur negligence, qui n'
attendent pas l' antiquité ou la claire verité de l' histo-
re plutôt de noires plumes de l' obscure & fotte traditior
se contentant.

R. Antiquitas allegatur Judaica; unicum tan-
tum affertur idque obscurissimum R. Jehudæ testi-
monium, quod a nullo literalium commentatorum
approbatur. Solus R. Juda est, qui urbem ORBO
nominat. In cholin & Jalkut thora nomen ejus non
C repe-

reperitur. Solummodo ibi exstat, *fortasse ORE-*
BHIM a loco quodam ita dici. Nemini, credo, hoc
sufficiens videri antiquitatis testimonium? Præterea
citatus est liber Merdraschius, in quo præter sen-
sum literalem diversi investigantur sensus vocis, a
Spiritu S. non intenti, eo tantum consilio, ut sim-
plex & proprius vocis sensus tanto appareat illu-
strius, reliquis remotis. Cum itaque simplex &
grammaticæ analogiæ conveniens sensus vocis
עֲרֹבִים sit *corvi*, reliqui quicunque præter eum
מִדְּרָשׁ מִדְּרָשׁ more allegorico excogitantur, tanquam
alieni removentur. Quod si omnia ea quæ Talmu-
dici habent, forent amplectenda. Achab pro œcu-
menico Rege esset agnoscendus. Ita enim ajunt
Talmudici cum citant i. Reg. XVIII. 10. שלשה מלכו
בכפרה אחאב בן עמרי ונכבדנצר ואחשוורוש אחאב
דכתובים אדם וש גוי וממלכה אשר לא שלה ארני
tres fuere Oecumenici Reges, Achab filius Omri,
Nebucadnezar, & Ahasverus, Achab, quod probatur ex i.
Reg. XVIII. 10. Num est regnum aut gens ad quam non
miserit Dominus meus ad te inquirendum? Jalk. th. in
h. l. Sed illam absurdam & stultam traditionem
prudenter rejiciunt Interpretes literales. *Ira Achab-*
benel מלך הוה במסכת הוה המאמר הוה
שמלך אחאב בכפרה והוא דבר בלתי מתקבל שאם
בארץ ישראל לא מלך בכפרה אף מלך בכל העולם
הוה לו מלחמות ומלך ארם לקח ערים ממנו
ואם לר הונות כשומרון כר *Tradunt veteres Acha-*
bum regnasse in totum urbem, nisi loco in Magilla
ut

hoc asseritur. At hac assertio prorsus absõna est. Quod si Achab ne in omnem quidem terram Israelis dominatus est, quomodo ipsi imperium in univèrsam orbem potest attribui? Regi quem Syri perpetuis bellis lacefferunt, urbes ademerunt in urbe Samariæ præfidiarios milites posuerunt? ubi cum Benhadad imperiose thesauros auri argentique ab ipso exposceret, quam humillime respondit: Esto ita ut jubes Rex mi. Id quod certe non est argumentum œcumenici imperii. Ratio quod traditio hæc rejicitur est, quia non convenit, cum scripturæ contextu tanquam medraschica glossa, nam *אין המדרש על סדר המקראות* Medraschica glossa non quadrat ad ordinem contextus. Neque enim statim inferendum est: Achab adjuravit omne regnum & gentem; Ergo fuit imperator œcumenicus, quia adjuratio illa facta est *כדרך לה בקשה לא כדרך יראה ושררה* precario, non per modum imperii, ut Kimchi interpretatur, in regnis vicinioribus, non remotis. Eodem modo traditionem de urbe Orbo tanquam obscuram & stultam rejiciendam esse dici potest.

10. Propius ad veritatem accedunt, qui per OREBHIM Mercatores intelligunt, juxta stylum Ezech. XXVII. 27. Id quod etiam Kimchi Abarbenel & plures alii testantur, nempe, quod Mercatores hi cognoverint Eliam & locum, in quo absconditus, in quem carnes deportarint.

R. Tam Kimchi quam Abarbenel intelligunt

C 2

ערכים

ממש ערבים *genuinos corvos*. Memorat quidem A-barbanel, esse, qui Mercatores intelligant, at sententiam illam non probat. Kimchi vero ita scribit:

וּשׁ מִפְּרָשִׁים הָעֵרְבִים סוֹחְדִים כְּמוֹ עֵרְבֵי מַעֲרֹךְ וְהַנֶּרֶךְ
 שֵׁם הַכְּתוּב אֹמֵר וְנִסְתַּרְתָּ שְׁלֵא וְדַעַךְ אִדָּם שֵׁם
 per OREBHIM Mercatores intelligi putant ex Ez.
 XXVII. 27. At enimvero expresse scribitur: Delitescas
 ibi, ne te quisquam hominum cognoscat. Claudimus dil-
 quificationem hanc verbis Bocharti part. II. Hieroz. c.
 XIII. p. 214. Utut ab Ezechiele Tyrii Mercatores de-
 scribantur hac periphrasi עֵרְבֵי עֵרְבֵי qui negotiantur ne-
 gotia tua, tamen ערבים per se mercatores nusquam si-
 gnificat. Nec DEUS in genere dixisset: Praecepit merca-
 toribus: sed, praecepit mercatoribus hujus vel illius loci, ut
 se nutriant. &c. &c. Praeterea Elias ibi latere iussus,
 non vero latuisset, si latibuli sui conscios ha-
 buisset locorum incolas.



A Sportasse dapes corvi memorantur ELIÆ :
Corvorum hoc genti non levidense de-
cus.

Afferis hos corvis, alius quos demit, honores
WILLICHI: hinc corvis & Tibi surgit
honos.

PRÆSES.

Clarissime atque Eruditissime

DN. VVILLICHI,

SS. Theologiae Cultor indefesse,

Fautor ac amice multis nominibus colende.

Dies & verba deficerent, si celsas men-
tis Tuæ dotes, pietatem plane singu-
larem ac nulla prorsus pietam hypo-
crysi, pertinacissimamque in studiis contentio-
nem, vel aliqua saltem ratione laudare mi-
hi animus esset. Quare cum hæc omnia lau-
des meas transcendant, neque aliunde quæ-
sit

C 3

fitis ad sui commendationem egeant coloribus,
solicitae eorundem recensione nolo immorari.
Illam tamen in differendorari exempli industri-
am cuius luculentissima, Fautor aestimatis-
sime, plus simplici uice in Cathedra Academica in-
signi cum audientium uoluptate & congratu-
lantibus bonis omnibus edidisti specimina ta-
cere nequeo. Satis quippe de eadem testan-
tur eruditissimae illae Dissertationes quas sub
Praesidio Gamalielis nostri omnis observan-
tiae & submissionis cultu deuenerandi Illu-
stris ac Magnifici DN. D. MAYERI, Am-
plissimi ac spectatissimi DN. HORNII, ad-
modum Reuerendi Dn. RVMPÆI & cla-
rissimi DN. STÆGEMANNI scitissimè de-
fendisti. Ne itaque Summe Venerandum
GEBHARDVM nostrum Virum de diui-
niori sapientia & Hebraeorum literatura
preclare meritum prorsus praeterires sub e-
ius pariter moderamine praesentem Exerci-
tationem longe doctissimam publico subiicere e-
xamini constituisti. Faxit interea Supre-
mum

*mum Numen, ut hi quos haecenus in Te
Amice integerrime suscepisti ac summa cum
laude perfecisti labores sint gradus ad mo-
lienda indies maiora aditum parantes, quo
exinde perpetua & laetandi & gratulandi
nascatur occasio*

Tuo

ad quaeuis officiorum genera
paratissimo

M. IACOBO ST AALKOPFF.

Non dubitas nostris calamis committere
nomen;


Carmine quod meruit nobiliore cani,
WILLICHI. Numero consuemus ludere inerti,
Laudibus & votis qui minus aptus erit.

Tu, dum nequitiem, sacros corrumpere fontes
Quae solet, ardenti suppressis ingenio,
Ipse tibi laudem dignos acquiris honores,
Ipse pio facilem reddis amore DEUM.

Scrib.


JOH. AD. VEHR,
Stralsundensis,

(o)



BIBLIOTHECA





00 A 6321

ULB Halle 3
002 925 397





Ste.

Hi. 82

von







De

31.

OREBHIM

Eliae nutritoribus

v. Reg. XVII. 4. 6.

Naturalesne corvi an homines
intelligentur.

Sub PRÆSIDIO

BRANDANI HENRICI
GEBHARDI,

SS. Literarum Doct. & Prof. P.

publicè disquiret

FRIDERICUS CHRISTOPHORUS
WILLICHIUS, Sund.

SS. Theol. Cultor.

D. VIII. Septembr. Hora VII.

M D C C V I I.

GRYPHISWALDIÆ,

Nunc recusa M D C C X I X.

(3)